



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Augustæ Vindel., 1772**

Caput XXV. In quibus firma pax cordis, & verus profectus consistit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

## C A P U T   XXV.

*In quibus firma pax cordis, & verus  
profetus consistit.*

**I.** Fili, ego locutus sum: *Pacem  
relinquo vobis, pacem meam do  
vobis: non quomodo mundus dat, ego  
do vobis.*

Pacem omnes desiderant; sed quæ ad veram pacem pertinent, non omnes curant.

Pax mea cum humilibus, & man-  
fuetis corde. Pax tua erit in multa  
patientia.

Si me audieris, & vocem meam  
secutus fueris, poteris multa pace  
frui.

Quid igitur faciam? In omni re  
attende tibi, quid facias; & quid di-  
cas, & omnem intentionem tuam  
ad hoc dirige, ut mihi soli placeas,  
& extra me nihil cupias, vel quæ-  
ras.

Sed & de aliorum dictis, vel factis nil temere judices: nec cum re-

bus tibi non commissis te implices;  
 & poterit fieri, ut parum, vel raro  
 turberis.

2. Nunquam autem sentire aliquam  
 turbationem, nec aliquam cordis,  
 vel corporis pati molestiam, non est  
 præsentis temporis, sed status æter-  
 næ quietis.

Non ergo æstimes te veram pa-  
 cem invenisse, si nullam senseris gra-  
 vitatem: nec totum esse bonum, si  
 neminem pateris adversarium: nec  
 hoc esse perfectum, si cuncta siant  
 secundum tuum affectum.

Neque tunc aliquid magni te re-  
 putes, aut specialiter dilectum ex-  
 stimes, si in magna fueris devotio-  
 ne atque dulcedine: quia in ipsis no-  
 cognoscitur verus amator virtutis:  
 nec in ipsis consistit profectus, &  
 perfectio hominis.

3. In quo ergo, Domine? In of-  
 ferendo te ex toto corde tuo volun-  
 tati divinæ; non quærendo, qua-  
 tua sunt, nec in parvo, nec in ma-

gno,

gno, nec in tempore, nec in æternitate.

Ita ut una æquali facie in gratiarum actione permaneas inter prospera, & contraria, omnia æqua lance pensando.

Si fueris tam fortis, & longanimes in spe, ut subtracta interiori consolatione, etiam ad ampliora sustinenda cor tuum præparaveris, nec te justificaveris, quasi hæc, tanta que pati non deberes.

Sed me in omnibus dispositionibus justificaveris, & sanctum laudaveris: tunc in vera, & recta via pacis ambulas, & spes indubitata erit, quod rursus in jubilo faciem meam sis visurus.

Quod si ad plenum tui ipsius contemptum perveneris, scito, quod tunc abundantia pacis perfrueris secundum possibilitatem tui incolatus.